



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

- I. Bischof Herbert von Brandenburg bekundet, daß er mit Adalbero von Magdeburg viele heidnische Götzen zerstört und zu Leitzkau eine christliche Kirche gegründet habe, mit Jahre 1114.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

U r k u n d e n.

I. Bischof Herbert von Brandenburg bekundet, daß er mit Adalbero von Magdeburg viele heidnische Götzen zerstört und zu Leitzkau eine christliche Kirche gegründet habe, im Jahre 1114.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Herbertus, ecclesie Brandenburgensis minister humillimus, omnibus Christi fidelibus tam absentibus quam presentibus notum esse cupio, Qualiter pro remedio anime mee et omnium cristianorum ritum sum persecutus paganorum in spe propagande amplificandeque religionis cristiane una cum familiaribus meis admodum paucis, scilicet monacho cuidam michi subsistenti Adalberone ac nunc magdeburgensi concessus ecclesie divina fauente clementia, prout potuimus, multa atque innumerabilia destruximus idola et in honore sanctissime Dei genetricis Marie et apostolorum Petri et Pauli atque omnium apostolorum Sancti Steffani protomartyris et Sanctorum martyrum omnium Sancti Martini confessoris atque pontificis nec non et omnium sanctorum confessorum Monachorum Heremitarum et in honore beate Cecilie virginis et martyris et omnium sanctarum virginum viduarum monialium continentium et omnium sanctorum secundum facultatem nostram in loco capituli qui Lizecho nuncupatur in provincia quae Morfchene vocatur, inter Albiam et Hauelam situs, in confinio terre Saxonice templa construximus. In predicto autem loco ecclesiam ligneam Deo dicatam villa que vocatur Gouuene dotauimus Auellone consentiente Aduocato, quia sui ex beneficio fuerat, pro animabus suorum omnium predecessorum quin etiam sua ac successorum. Deinde vero haut post longo transacto tempore mortuo charissime fororis mee filio Berenuardo et dilectissimo Capellano meo Theoderico a latronibus interempto, Lapideam construximus basilicam, ad quam dedicandam rogatu consilio et auxilio honorum et illustrium hominum videlicet Helprici, Megenfridi, Kizonis, Auelonis, Adelberti, Hermanni, Wezelonis, Wichardi, Gerberti, Themonis, goslariensium, Adelberti, Windeleri, Radimungi et aliorum, quorum nomina in libro vite scripta videntur, decimationem inter annes illos Hleda et Nütt pro animabus famulorum famularumque cristianorum omnium episcoporum abbatum canonicorum monachorum et omnium cristianorum tradidimus et villam que vocatur Cicelo cum omni utilitate pro dandis luminibus statuimus. Quisquis autem diabolica instigante dementia hoc infringere studuerit, maledictum atque dampnatum potestate sanctorum Petri et Pauli et omnium apostolorum martyrum confessorum virginum et omnium sanctorum eterno deputamus supplicio. Amen. Facta est hec charta A. D. M^o. C^o. XIII^o. indict. VII. epacta XII. Concurrente III. Regula VII. regnante Hinrico imperatore augusto.

Nach einer Copie des 16. Jahrhunderts im Dom-Archive zu Brandenburg. Abweichend in Gerken's Brand. Stiftshist. S. 342.